5. *Ioſephi conſilium, verſ.33.34.35.36.*

In tertia *erit*

1. *Regis de interpretatione, conſilio & prudentia Ioſephi iudicium, v.37.38.*
2. *Dignitas & honores, Ioſepho collati à rege, vſque ad ver.45.*
3. *Matrimonium & ætas Ioſephi, ver.45.46.*

In quarta *erit*

1. *Vbertas ſeptem annorum, ver.47.*
2. *Ioſephi ſtudium in curanda annona. ver.48.49.*
3. *Duo filii nati Ioſepho, ver.50.51.52.*
4. *Fames AEgypti vbertatem abſumens, ver.53.54.55.*
5. *Frumentatio Ioſephi. ver.56.57.*

PRIMA PARS CAPITIS

Duo ſomnia Pharaonis.

1 *Fuit autem, annis duobus exactis, Pharao ſomniauit, & ecce ſtabat ad flumen.*

2 *Et ecce è flumine aſſcendebant ſeptem vaccæ pulchræ aſpectu, & pingues carne, quæ paſcebantur in carecto.*

3 *Ecce etiam ſeptem vaccæ aliæ aſſcendebant poſt eas è flumine, deformes aſpectu, & tenues carne, quæ ſtabant iuxta vaccas illas, quæ erant iuxta ripam fluminis.*

4 *Et deuorabant vaccæ illæ deformes aſpectu & tenues carne ſeptem vaccas pulcras aſpectu & pingues: & expergefactus eſt Pharao.*

5 *Rurſus vero dormiens ſomniauit ſecundo, & ecce ſeptem ſpicæ aſſcendebant in culmo vno pingues & pulchræ.*

6 *Ecce etiam ſeptem ſpicæ tenues, & arefactæ Euro, oriebantur poſt illas:*

7 *Et deuorabant ſpicæ illæ tenues ſeptem ſpicas pingues & plenas, expergefactusq; eſt Pharao: & ecce ſomnium erat.*

8 *Mane autem facto conſternatus eſt ſpiritus eius, miſitq; & conuocauit omnes Magos AEgypti, & omnes ſapientes eius: narrauitq; Pharao eis ſomnium: neq; erat, qui interpretaretur ea ipſi Pharaoni.*

9 *Tunc locutus eſt princeps pincernarum ad Pharaonem dicendo: Peccati mei ego recordor hodie.*

10 *Pharao iratus fuerat ſeruis ſuis, poſuitque in carcerem domus principis laniorum, me & principem piſtorum.*

11 *Et ſomniauimus ſomnium nocte eadem ego & ille: quiſque iuxta interpretationem ſomnii ſui ſomniauimus.*

12 *Et illic* erat *nobiſcum iuuenis Hebræus ſeruus principis laniorum, & narrauimus ei, & interpretatus eſt nobis ſomnia noſtra, cuique ſecundum ſomnium ſuum interpretatus eſt.*

13 *Acciditq; quemadmodum interpretatus eſt nobis, ſic fuit: me reſtituit* Pharao *in locum meum: illum vero ſuſpendit.*

EXPLANATIO.

1. FVIT AVTEM ANNIS DVOBVS EXACTIS. A Hebr. *Et fuit in fine duorum annorum dierum*, id eſt, accidit poſt duos annos completos; hoc indicat nomen additum. ET ECCE STABAT, hoc eſt, videbatur ſibi ſtare ad fluuium: